

STATUTA
SOCIETATIS INTERNATIONALIS STUDIIS NEOLATINIS PROVEHENDIS

Articulorum Conspectus:

1. De Societatis finibus et nomine.
2. De Societatis sodalibus.
3. De Societatis regentibus.
4. De Societatis Commissionibus.
5. De regentibus eligendis et de suffectis.
6. De Collegio Consultatorio.
7. De conventibus doctis.
8. De Societatis personam gerentibus et de Societati adsociandis.
9. De scriptis prelo divulgandis.
10. De statutis recognoscendis.

Articulus I -- De Societatis finibus et nomine

I.A Societas eo fine et scopo condita est ut :

1. causa Latinitatis recentioris eiusque studia latius propagentur;
2. Omnes sodales ope scriptorum a Societate probandorum certiores fiant de iis quae ad hanc rem pertineant, atque imprimis de institutione et indagationibus Neolatinis quaequae fiant in Studiorum Collegiis, Universitatibus, Institutis aliisque doctrinarum sedibus;
3. certis temporibus conventus docti inter omnes gentes convocentur;
4. ubicumque fieri possit, opera Neolatina seu typis edere seu commentationibus illustrare cupientibus vel alia opera Latinitati recentiori conducibilia publici iuris facere volentibus, feratur auxilium;
5. litterarum Neolatarum institutio in omnes, ubi visum fuerit, scholarum ordines introducatur vel in iis augeatur.

Voces illae «Neolatinus» et «Latinitas recentior» litteras significant Latine cultas a primordiis Humanismi Italici.

I.B Societas hoc nomen habebit: Latine, *Societas Internationalis Studiis Neolatinis Provehendis*; Anglice, *International Association for Neo-Latin Studies*; Francogallice, *Association Internationale d'Études néo-latines*; Italice, *Associazione internazionale di studi latini umanistici e moderni*; Germanice, *Internationale Gesellschaft für neulateinische Forschungen* ; Hispanice, *Sociedad Internacional de Estudios Neolatinos*; Nederlandice, *Internationale Vereniging voor Neolatijnse Studies*.

Statuta publica sunto Latina.

Articulus II-- De Societatis sodalibus

- II.A 1. Ii et eae, qui quavis in schola litteras docent Neolatinas aut Latinitatem recentiorem docte scrutantur, aut in Instituto aliquo vel bibliotheca operam Neolatinam navant, si Societatis secretario / secretariae

nomen dederint, de iure fient sodales. Item alii viri docti / doctae mulieres aliae propter studia Latinitatem quoque recentiorem respicentes a secretario / secretaria admissionem petere possunt in Societatem.

2. Praeterea Commissio Exsecutoria potestatem habet eos / eas adsciscendi in sodales, quorum / quarum studia ad Latinitatem recentiorem utcunque pertinent.

II.B Iusti / iustae sodales omnes potestatem habent suffragii ferendi in Concilio Negotiis singulorum conventuum Expediendis agendo (vide art. VII.D).

II.C 1. Singulis annis sodales singillatim solvunt symbolam, quae Kalendis semper Ianuariis debetur. Quam symbolam semel in plures annos solvere licet. Quanta autem futura sit haec symbola unusquisque conventus statuet in annos qui sunt ab eo conventu in proximum. Statuet vero secundum quod thesaurario / thesaurariae visum erit et a Commissione Exsecutoria (vide art. IV.B) nec non Concilio Negotiis Expediendis comprobatum. Commissio porro Exsecutoria propter adiuncta sibi perspecta symbolam sive minuere sive condonare totam potest.

2. Sodales rude donatae / donati, qui quidem per tres saltem annos sodales fuerint e solido, dimidiam tantum symbolam solvunt.

3. Concilium Negotiis Expediendis ex convento cum Collegio Consultatorio potestatem habet statuendi utrum societates studiorumque sedes adsociatas rogaturum sit ut annuam solvant symbolam necne. Quodsi rogare visum fuerit, summam item statuet.

Articulus III --De Societatis Regentibus

III.A Ad negotia Societatis moderanda et regenda viri mulieresve quinque sunt, qui creandi proponantur atque ad munera designentur secundum rationem infra Art. V descriptam. Dicuntur autem:

1. Praeses, qui / quae eligitur in temporis spatium ab uno conventu ad proximum. Sibi continuo ipse / ipsa succedat non licet, postea tamen iterum eligi potest.

2. Praesides vicarii duo/vicariae duae, quorum / quarum prior ex solito a Commissione Suffragiis Ordinandis ut novus / nova fiat praeses proponetur et, dum vicarius / vicaria agit, Collegio Consultatorio praesidebit. Posterior autem Commissioni conventui proximo parando praesidebit ideoque praestat eum / eam illi studiorum sedi esse ascriptum, quae proximum conventum hospitio recipiet. Denique si et praeses et alter/altera a praeside eodem tempore aberunt aut morbo laborabunt, tertius / tertia praesidis officium persequetur. Ex solito tamen alter / altera a praeside huius personam capiet in eiusve locum sufficietur, si praeses ex graviore morbo laborabit vel aliter impediatur quominus munere fungatur suo. Uterque vicarius /utraque vicaria munus obtinebit ab uno ad proximum conventum.

3. Thesaurarius / thesauraria, qui / quae sex annos in officio erit aut ab uno conventu ad alterum, si per plus sex annos hoc spatium extendetur. Iterum eligatur in novum spatium idque continuum licet. Referet semper de statu aerarii ad Concilia Negotiis conventus Expediendis.

4. A Secretis, qui / quae sex annos in officio erit aut ab uno conventu ad alterum, si per plus sex annos hoc spatium extendetur. Eligatur in nova deinceps officii spatia licet.

III. B Ut Societas indolem servet vere internationalem, origo geographica observari debet eorum / earum, qui ad munera obeunda designabuntur. Vicarii/ vicariae porro praesides in quantum fieri potest eiusdem nationis ne fuerint.

Articulus IV --De Societatis Commissionibus

- IV.A Commissio esto suffragiis ordinandis. Quae commissio elenchum nominum praeparabit eorum / earum, qui singulorum conventuum concilio proponantur suffragiis designandi ad singula Societatis regendae munia praeter tertium / tertiam a praeside (cuius de creatione vide Art. IV.C). Commissionis participes tres sunt: nempe praeses proxime officio functus / functa, qui / quae huic commissioni praesidebit, alter / altera a praeside et tertius / tertia sodalis ab hoc consilio designatus / designata. Singulis officiis, excepto praesidis, plures candidati / candidatae proponantur oportet. Alii etiam candidati / candidatae aliae proponi possunt a sodalibus in Concilio negotiorum conventus congregatis.
- IV.B. Ad negotia Societatis inter duos conventus gerenda atque conventum proximum rite ordinandum, Commissio esto Exsecutoria, cuius participes sunt septem, nempe praeses, uterque vicarius / utraque vicaria, a secretis, thesaurus / thesauria, praeses proxime officio functus / functa, praefectus / praefecta Commissionis scriptis prelo divulgandis. Commissio Exsecutoria in officio erit a quo in conventus concilio suffragiis designata est usque ad eum diem, quo in proximo conventu singulis successoribus electis nova Commissio Exsecutoria erit composita. Prout fieri potest et praesidi visum erit, semel saltem in anno Commissio Exsecutoria conveniet, quae binos inter conventus potestatem habebit nomine Societatis agendi intra terminos articulorum horum statutorum. Denique eadem ipsa Commissio proximi cuiusque conventus oratores seligito eiusque programma confirmato secundum ea praecepta, quae Concilium Negotiis Expediendis in novissimo conventu comprobaverit.
- IV.C. Commissio etiam esto conventui parando: quam commissionem constituet ipsius commissionis praeses, qui vel quae ascriptus c. q. ascripta esse debet studiorum sedi, quae conventum, qui paretur, hospitio accipit et eidem mandatum dat convocandi. Ut supra praescriptum est in Articulo III.A, huius commissionis praeses ipso facto est tertius / tertiam a praeside Societatis. Commissio haec conventum parabit secundum praecepta a Commissione Exsecutoria data.
- IV.D Commissio esto scriptis prelo divulgandis, ut infra in Art. IX exponitur. Huic commissioni praeponendus c. q. praeponenda sodalis a Commissione Exsecutoria proponetur Concilio Negotiis conventus Expediendis, quod eum / eam ad officium designato.
- IV.E Commissio esto institutioni litterarum Neolatarum provehendae (vide Art. I.A.5). Huic commissioni praeponendus c. q. praeponenda sodalis a Commissione Exsecutoria proponetur Concilio Negotiis conventus Expediendis, quod eum / eam ad officium designato.
- IV.F Aliae etiam commissiones a Commissione Exsecutoria creari possunt aut peti a sodalibus in Concilio Negotiis Expediendis. Novae vero commissiones comprobandae sunt in Concilio Negotiis Expediendis.
- IV.G Cunctae commissiones Concilio Negotiis Expediendis relationem libello mandatam tradere debent.

Articulus V--De regentibus eligendis et de suffectis

- V.A Ii et eae, qui Societatem regant sicut expositum est in Art. III A, hac ratione eligantur oportet. Commissio Suffragiis Ordinandis elenchum praeparato, in quo nomen sit unius candidati / candidatae praesidialis et plurium singulis aliis officiis, excepto tamen tertij / tertia a praeside (de quo c. q. de qua, vide Art. IV.C). Sodalibus alios / alias proponere licet litteris ea de re secretario / secretariae missis ante Concilium Negotiis Expediendis. Nemo a Commissione Suffragiorum proponatur, nisi ipse / ipsa consensum prius dederit. Propositiones ab aliis sodalibus factae per litteras communicentur oportet non post tricesimum diem antequam conventus congregetur. Faciendae autem sunt a sodali, qui / quae candidatum candidatamve proponit, et altero alterave ei favente, fiantque cum consensu ipsius candidati candidataeve. Praeses officio decessurus / decessura Concilio Negotiis Expediendis praesidebit ne non negotium suffragiorum ferendorum moderabitur. Suffragia scriptis

fiant sorticulis. A Secretis scripto notato quot sint electores / electrices. Fit electio per designationem maiore suffragiorum parte factam.

V.B Societatis sodales omnes eligi etiam possunt ad officia consultorum/consultricum— vide infra Art. VI — obeunda. Qui / quae in hoc collegio personam gerant societatum vel institutorum Societati I.S.N.P. adsociatorum, ab eorum / earum societate vel instituto designari debent. Qui/quae disciplinae alicuius aliusve scientiarum provinciae nomine adsint, sodales sunt Societatis I.S.N.P. Proponantur licet ab aliis sodalibus, modo a binis fiat suffragatio, ut in Art. V.A supra praescriptum est. Consultores / consultrices eligantur oportet in Concilio Negotiis conventus Expediendis eadem scilicet ratione quae in Art. V.A ineunda praescribitur. Ut Societas indolem servet vere internationalem, originem geographicam observare libet eorum / earum, qui ad munera obeunda designabuntur.

Articulus VI -- De Collegio Consultatorio

VI.A Collegium Consultatorium esto, quo consilia parentur omnibus in rebus quibus Societatis forma labores contentionesque meliores fiant ex una parte, quibus iuventur et provehantur necessitudines doctae inter S.I.S.N.P. et societates et instituta Societati I.S.N.P. adsociata ex altera parte (vide infra Art. VIII), itemque inter S.I.S.N.P. et studiorum sedes vel instituta, in quibus eae disciplinae coluntur, quarum vice consultores / consultrices in Collegio funguntur.

VI.B.1. Collegio Consultatorio sodales adsint maiorum linguarum vernacularum necnon disciplinarum maioris momenti, puta artis, studiorum classicorum, historiae, legum, linguisticae, bonarum litterarum, musicae, philosophiae, theologiae, scientiarum physicarum et mathematicarum.

2. Collegii Consultatorii etiam participes sunt sodales personam gerentes societatum et institutorum S.I.S.N.P. adsociatorum, quae singula singulos habent consultores consultricesve.

3. Qua ratione consultores / consultrices proponi et suffragiis designari debeant, videsis Art. V.B.

VI.C 1. Numerus earum eorumque, qui disciplinarum maiorum nomine in Collegio adsint, certis temporibus a Concilio Negotiis Societatis Expediendis definiatur.

2. Eidem consultores / eaedem consultrices in officio manebunt adusque proximum Negotiorum Concilium atque iterum denuoque designari possunt. Ultra tertium mandatum nemo designetur.

VI.D 1. Societates et aliae studiorum sedes, quae S.I.S.N.P. adsociari cupiunt, admissionem petant a praefecto / praefecta Collegio Consultatorio, qui / quae petitionem Concilio Negotiis Expediendis tradet ut de ea statuat. Ipse praefectus / ipsa praefecta ultro potestatem habet invitandi societates aliasve studiorum sedes ut se ad S.I.S.N.P. applicent.

2. De symbola ab adsociatis solvenda videsis Art. II.C.3.

VI.E Alter/ altera a praeside Societatis praesidebit Collegio Consultatorio. Praefecto /praefectae mandabitur ut consultorum consultricumque consilia, suasiones vel petitiones cum Commissione Exsecutoria communicet. Item praefectus /praefecta consultores / consultrices primo proximi conventus die congregato ut ea tunc parentur, quae ad Commissionem Exsecutoriam referenda sunt, et tertius / tertia sodalis eligatur in collegium suffragiis ordinandis.

VI.F Collegii huius praefectus / praefecta definiat et disponet ordinem rerum in consultorum consultricumque congregationibus agendarum. Curabit item ut consulta perscribantur eademque ad Concilium Negotiis Expediendis omnia deferantur.

Articulus VII --De conventibus doctis

- VII.A Conventus Societatis internationalis tertio quoque, quarto vel quinto dumtaxat anno convocabitur in civitates, quas Commissio Exsecutoria in singulis conventibus Concilio Negotiis Expediendis commendabit.
- VII.B Exceptis invitatis, sodales tantum Societatis ius habent ut orationem proponant Commissioni Exsecutoriae conformando, quae de ea statuat. Solis etiam sodalibus singulis conventibus interesse licet, modo in partem impensae stipem solverint a Commissione Conventui Parando definitam. In omni tamen conventu una pluresve acroases aut actiones aliae, prout Commissioni conventui parando visum erit, adiri possunt ab omnibus adesse cupientibus.
- VII.C Commissio Exsecutoria potestatem habet invitandi quos / quas ad conventum, qui non sunt sodales, ratione quidem habita et alia et hospitii, quantum in loco praesto sit. Commissio indicato debeantne invitati stipem conferre necne.
- VII.D In singulis conventibus generale concilium habeatur, in quo, disputatione facta, argumenta et causae proximi conventus a sodalibus comprobentur; item suffragia ferantur et cetera negotia in aliis Statutorum articulis praevisa expediantur. Quod Concilium nuncupetur a Negotiis conventus Expediendis.
- VII.E Ordo rerum in hoc concilio agendarum non post tricesimum diem ante conventum ad omnes sodales a secretario / secretaria circummittatur oportet. Si qui sodalis quaestionem inter has res proferre velit, non post sexagesimum diem antequam conventus fiat litteras ea de re mittat Societatis praesidi.

Articulus VIII - Qui / quae Societatis personam gerant; qui / quae Societati adsociari queant

- VIII.A Postquam Commissio Exsecutoria suasit et Concilium Negotiis Expediendis comprobavit, Societas aliis studiorum collegiis scopo suo convenientibus seu nomine saltem seu persona interposita adesse potest. Societatis autem in aliis congregationibus vel conventibus is / ea tantum personam gerat, cui Commissio Exsecutoria munus mandaverit.
- VIII.B Societates et studiorum instituta, quae S.I.S.N.P. adsociari velint, agunt ut praevisum est in Art. VI.D.

Articulus IX - De scriptis prelo divulgandis

- IX.A Acta uniuscuiusque conventus ea formula edantur, quae Societatis consentanea est finibus. Cura autem libri Actorum prelo parandi penes Commissionem Exsecutoriam esto. Alia etiam scripta interdum ab eadem Commissionem commendari possunt.
- IX.B Commissio itaque esto scriptis prelo divulgandis, cuius praefectus / praefecta suasu Commissionis Exsecutoriae designetur. Is / ea ex officio particeps erit Commissionis Exsecutoriae.
- IX.C Nuntii ad res Neolatinas pertinentes certis temporibus opera S.I.S.N.P. in uno pluribusve commentariis divulgabuntur. Publicas vero renuntiationes a Secretis ipsis sodalibus mittito.

Articulus X - De statutis recognoscendis

Rogationes ut statuta recognoscantur aut novis articulis augeantur per litteras encyclicas circummittantur oportet non post sexagesimum diem ante eum conventum, qui ea de re disputaturus sit. Statuta ut mutantur, necesse est ut in sententiam rogationis duae minimum eant partes suffragiorum omnium sodalium, qui / quae in Concilio Negotiis conventus Expediendis rite denunciato adsunt et suffragia ferunt.